DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE HAEMORRHOIDIBUS QUAM...

Wenceslaus Knoll



DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

DE

HAEMORRHOIDIBUS


QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICENTISSIMI DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI DECANI
NEC NON
CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE GRADU
RITE OBTINENDO
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE PATAVINA
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

WENCESLAUS KNOLL
BOHEMUS ROVITNITEENSIS

PATAVII
EX OFFICINA VALENTINI CRESCINII
MDCCCXXIX




292

MORBI DEFINITIO.

Haemorrhois Germanis *die goldene Ader*, Italis *Emorroidi*, secundum aethiologiam nominis αἷμα sanguis, ῥέω fluo, nil aliud quam profluvium sanguinis designat. Antiqui autem medici jam distinctionem facere conati, intellexerunt sub haemorrhagia profluvium sanguinis ex parte organismi humani aliqua, ad quam simul nomen partis ipsius addiderunt, ut illa exactius determinaretur, et sub haemorrhoidibus designarunt profluvium sanguinis ex vasis intestini recti. Consiliarius nobilis a Reimann colendissimus meus praeceptor sequentem definitionem statuit: Haemorrhois est symptoma unum, per quod se morbus haemorrhoidalis in majori evolutionis gradu manifestet, et consistit in profluvio sanguinis partim puri, partim cum muco et faecibus mixti, ex vasis intestini recti inferioribus.

-2 94-

Descriptio morbi.

Symptomata per quae se haemorrhoides manifestant, diversa et imo diversissima sub forma adparent, et medicum ad falsam morbi determinationem seducunt. Hinc ut faciliorem morbi diagnosim acquiramus, rem ita disposui ut 1.mo dispositionis, 2.do moliminum, et 3.tio fluentium haemorrhoidum simptomata recenseantur.

a) Symptomata dispositionis pro haemorrhoidibus. Haec consistit in vitiosa circulatione sanguinis per viscera abdominalia, praeprimis vero per systema venae portarum; hinc ea symptomata, per quae se se dispositio manifestat ad statum morbosum imi ventris, qui mox magis ad hepar, mox ad lien, mox ad vasa systematis venae portarum restrictus est, designant. Talis dispositio per menses, imo per annos perstare potest, quin verus fluxus adpareat, talisque dispositio saepe saepius in alios morbos chronicos, uti icterus, hydrops, hoemoptoe transit.

Symptomata consuetissima dispositionem concomitantia sunt: digestio turbata, pressio, tensio in regione epigastrica, nausea, ructus aciduli, flatulentia, symptomata uteri, sapor amarus, lingua obducta, sensationes molestae in abdominalibus visceribus, tensiones in praecordiis, alvus mox obstipa, mox diarrhoica, uno totus symptomatum hypochondriae convenientium. Congestiones versus caput, pectus, abdomen, inde calor fugax, cefalea, susurrus aurium, vertigo, respiratio difficilis, anxia, sensus ustionis, pressionis punctionis in pectore. Color faciei pallido flavus, o-

culi in orbitam retracti, anulis caeruleis cincti, pulsu frequens, parvus, intermittens.

b) Symptomatum moliminum quae iterum in localia et universalia subdividuntur, sunt:

1) Localia gravamina in intestino recto, ortum suum agnoscunt in majori sanguinis affluxu ad vasa hujus intestini, et in extensione vasorum haemorrhoidalium, symptomata inde profluentia sunt: sensus caloris, gravedinis, doloris, tenasmus, tensio in regione sacrali per dorsalem et lumbalem sese extendentes; pruritus molestus in orificio ani.

2) Ad symptomata universum corpus spectantia numeramus: pressionem, tensionem in imo ventre obstipationem alvi, erectiones, polutiones, stimulum in venerem, urinas rubellas, sedimentoque arenoso, cephaleam, occipitalem speciatim vertiginem, susurrum aurium, visionem punctorum nigrorum. Colorem faciei flavicantem, linguam obductam, morositatem. Haecce signa per diversum tempus corpus humanum vexant, disparent et inde terminato interstitio redire solent, praeprimis per errorem diaeteticum, abusum veneris, sessionem protractam, refrigerium capitum, et ipsa pro moliminibus morbi haemorrhoidalia tunc sunt declaranda, quando simul adsunt localia, qoando alternant localibus vel localia sequuntur.

c) Symptomata fluentium: tensio in regione sacrali, tenesmus aucti, horripilationes universales, sensus ac si guttulae aquae calidae, aut aer tepidus per anum descenderent, ostendunt molimina in fluentes haemorrhoides transgressura. Antecedit alvus dura cum molestiis deponenda, ubi dein fluxus ipse apparet. Sanguis evacuatur vel cum vel post deposi-

tionem alvi; ipse est laete ruber, fluidus, cum muco, mixtus, quantitas diversa aut guttulae nonnullae, aut plures unciae. Sanguine evacuato notabilis remissio symptomatum molimina concomitantium, aut plenaria evanescentia. Saepe unica vice talis evacuatio, saepius vero repetitis vicibus sequi solet. Post primam evacuationem sanguinis, subsequae sunt certum typum observant, aut non, aut penitus emanent. In individuis illis, ubi redire solet, fere semper molimina antecedunt, haec ante et sub fluxu majora evadere, doloresque vehementissimos in abdomine, ructum, palpitationem cordis, respirationem anxiam, cephalaeam saepe causant.

Haec essent symptomata haemorrhoidum fluentium, existit vero alia species adhuc, quae sub nom coecarum in vita communi occurrit. Est nimirum ubi ex congestione sanguinis ad vasa haemorrhoidalia et alia, nulla inde oritur haemorrhagia, sed nunc tacite, nunc sub sensu pruritus, pulsationis, tensionis, caloris et ardoris vasa sanguifera in tubercula extenduntur, vel etiam sanguis ex vasis nunc memoratis sub tunica interna intestini recti effunditur, et sic dictas echimoses producit, saepe cum fluentibus conjunctas. Ab initio tubercula minima, coloris caerulei, rubri vel nigricantis; in morbi decursu increscunt, et nucis magnitudinem saepe attingunt. Quo ad numerum ab initio pauciores, multiplicantur temporis cursu; sedes horum tuberculorum est aut externe ad limbum ani, aut interne in tubo intestinali. Si externe numerosiores, sunt, confluunt, et integrum ani limbum annli ad instar cingunt. Sub tali rerum statu, evacuatio alvi summa virium intansione per-

ficitur, noduli ipsi non nimis remote ab orificio ani protraduntur, summis sub doloribus recedunt iusio morbi sponte, tractu temporis extrorsum locati manent, et modo artificiali tantum reponi possunt. Non rarum est, sub nimia irritatiooe intestini recti per protrusionem memoratam, illa tumefieri, inflammari, ulcerari, indurari et fistulas ipsas progenerari posse.

Divisio haemorrhoidum.

Considerans omne sanguinis proflovium quatenus vel ex arteriis vel venis originem suam repetit; primam haemorrhoidum divisionem arteriosam et venosam nuncupavi. Objicere quidem posset aliquis, quid divisio in arteriosas et venosas, cum sanguis ex venis tantum profluit? Si certum esset, sanguinem ex solis venis prodire, tunc omnino statuta divisio falsa esset; sed non habemus in hocce morbo saepius signa congestionem activam in arteriis intestini recti demonstrantia? non habemus profluvium sanguinis characteris manifeste aperteque arteriosi?

Alteram divisionem sumpsi ex prioribus adlatis, quoniam vel certo determinatoque tempore adparet nec non, et prioribus concessi nomen *regulares*, secundis *irregulares*. Divisio secundum quantitatem in *largas* et *parcas*. Priores inveniuntur in affectione morbosa viscerum abdominalium, in dispositione manifesta haemorrhoidali saepe haereditaria, in paralysi vasorum, abusu remediorum stimulantium, calefacientium, adstringentium, pellentium.

Secundum quantitatem quatenus vel sanguis merus purus, vel mucus, vel nihil evacuatur, dividi possunt in haemorrhoides *sanguineas*, *mucosas*, *coecas*.

Distribuere valemus haemorrhoides in *simplices* et *complicatas*, ex sola debilitate vasorum intestini recti, videntur originem suam repetere simplices. Complicationem sistere possunt morbi, per quos excitatur ille fluxus, uti sunt: infarctus hepatis, lienis, hypocondris, hysteria materialis, aut qui ab haemorrhoidali affectione dependent, uti spasmi, evacuationes alvinae dolorificae, haemorrhagiae largae, morbi organici intestini recti, organorumque vicinorum.

Haemorrhoides nominantur anomalae profluvia sanguinis ex aliis humani corporis partibus, quae vices gerunt fluxus haemorrhoidalis supressi. Apparent vel sub forma metrorrhagiae haemoptoes. Diagnosis hujus profluvii summi momenti et multis saepe difficultatibus premitur, praeprimis tunc ubi ab initio jam ac vicariae adparent. Profluvia fiunt:

a) Ex pulmonibus ubi sanguis indolis venosae evacuatur, individuaque illa disposita videmus quae aetate infantili hoemoptoe laborant et habitum phthisicum praeseferunt.

b) Ex ventriculo c) ex vagina uteri *d*) ex renibus (baemorrhoides vescicae) rarius ex faucibus, palato molle, auribus, papillis mammarum, umbilico.

Ultima divisio quam cum silentio praeterire non censeo, est in haemorrhoides suppressas et obstructas. Fluxu praesente accidenteque causa noxia illum impediens haemorrhoides suppressae dicuntur. Momenta illam suppressionem causantia sunt: (*a*) quae statum spasticum vasorum adducunt, uti terror et metus (*b*); quae irritabilitatem deprimunt, congestionem et haemorrhagiam illam impediunt; e. g. moestitia, tristitia (*c*). quae vasorum sanguinem fundeu-

tium immediatam euntraetionem proferunt, ut refrigerium pedum, remedia adstringentia localia, enemata frigida (d): quae modo revulsivo congestiunes versus vasa haemorrhoidalia impediunt, uti nominatim venaesectio in brachio. Obstructae, ac status morbosus eo tempore sunt declarandae, si per earum emansionem sese insinuant symptomata morbosa, uam deleta dispositione, e. g. laxitate intestini recti, ubi absque malis posthumis ceduut, nulla ratione pro statu vitioso anomalae declarandae sunt.

Aethiologia.

Causam haemorrhagiae hujus nisi ex laesione aliqua orta est, eonsistere in statu erethico vel paralytieo vasorum fluentium, neminem non latebit. Quod synocha saepius vero erethismus sublateat, vix dubium exstat, patetque ex symptomatibus haemorrhoidum arteriosarum — paralysi ut plurimum symptomaticae in febri putrida, seorhuto aliisque eacheiis aut quae aetate jam provectiore evolvuntur, euitun-tur. Quae indolis venosae sunt, oriuntur vel ex paralysi, vel ax laesione organiea, praecipue ruptura varicum. Uti causae omnes dividi possunt in dispo-nentes et excitantas, sie et hic divisio illa locum habere potest.

Ad causas dispositionis numerari merentur:

„ Aetas virilis. Notum omnibus certe erit, evolutionem corporis in haece aetate perfectam jam esse, notumque omnibus erit, undam sanguinis aliorsum

convertendam esse, et quidem ad illa loca, ubi resistentiam minimam invenit; et ubi erit minor resistentia quam in visceribus abdominalibus? Consuetim sese insinuant manifestantque ab anno trigesimo ad quinquagesimum usque

b) Sexus masculinus. Causa videtur latere in eo, quod ex una parte in foeminis sanguis ad imum ventrem congestus per menstrualem fluxum evacuetur; ex altera parte foeminae influxus nocivos haemorrhoidibus faventes non adeo admittunt, ut sexus alter, e. g. vitam lautiorem, abusum spirituosorum.

c) Regiones locales. Frequentior apud populos septemtrionales regiones colentes, quam apud meridionales.

d) Temperamentum cholerico-melancholicum, quod praeprimis in singularem debilitatem et stagnationem humorum viscerum abdominalium et venae portarum inclinat.

e) Hypochondriaca et hysterica adfectio. Omni medico certe notum est, in illis spasmos frequentiores occurrere, ubi dein sanguinis refluxu impedito, remoram patitur et in venis hisce accumulatur, varicea causat, quae demum rumpuntur.

f) Secretiones aliae sanguineae suppressae, ubi sanguis per vicariam secretionem tanquam eliminatur.

Ad causas autem dispositione praesente, fluxum illum provocantes, pertinere censeo:

1) Illa, quae irritabilitatem vasorum haemorrhoidalium exaltant, congestiones producunt, activasque haemorrhoides proferunt. Ad ordinem huncce pertinent: abusus potulentorum spirituosorum, vini, cremati, cerevisiae, vegetabilium acri principio gaudeu-

tium, alii, cepae, sinapis, medicamentorum resinam cum oleo aethereo continentium.

2) Talia quae irritabilitatem in abdomine deprimunt, expansionem in vasis imi ventris augent, et hac ratione haemorrhoides characteris passivi proferunt. In classem hancce referuntur: animi pathemata, deprimentia, vita sedentaria, cibi et potulenta relaxantia, juscula multo calida, abusus theae, nutrimenta flatulentiam causantia.

3) Causae locales quatenus vel exaltando irritabilitatem activas congestiones, vel deprimendo, relaxationem vasorum haemorrhoidalium creant. Ad priora referenda esse censeo: enemata, suppositoria irritantia, corpora peregrina in intestino recto, uti vermes, faeces acriores. ad secunda, enemata relaxantia, vapores calidi, sessio protracta sub evacuatione alvina.

4) Omnia quae circulationem in organismo humano modo mechanico impediunt, v. g. vestimenta corpus nimis stringentia, uterus gravidus, tumores organorum abdominalium, intestini recti vitia organica, prolapsus vaginae et ani.

Prognosis.

Haemorrhoides spontaneas medici permulti, moderata quantitate fluentes, ad statum sanum numerant opinantes, hac ratione naturam sanguinem expellere superfluum, ejusque discrasiam. Certum quidem est profluvio hocce examinato quoad effectum quod in individuis nonnullis salutare dici mereatur, quatenus per profluvium ipsum morbus gravior erum-

pente minori tollatur. Sed ad quae attentionem medicus in morbo hocce convertendam habeat, sunt:

1) Character fluxus. Fluxu activo non solum prodroma mitigantur, sed et alia symptomata originem suam inde repetentia, uti: congestiones versus caput, pectus, abdomen. Stipatae vero cum charactere passivo ut in febri putrida et scorbuto, infaustam plerisqua in casibus admittunt. Haemorrhoides venosae si quantitas sanguinis profluentis non est nimia, prognosim relative bonam admittunt. Per illas mitigari videmus hypochondriam, melancoliam, icterum, arthritidem.

2) Relationes causales. Haemorrhoides per momenta externa, transitoria, accidentalia producta et activum fluxum causantes, prognosim non infaustam statuere possunt. Illae vero, quae originem suam adscribunt dispositioni universali, prognosim secundum possibilitatem hancce auferendi, secundum utilitatem pro indiviso ipso diversam ponere suadet.

3) Quantitas et duratio fluxus. Nimia evacuatio sanguinis, praesertim praeceps necare potest: saepius jactura notabilis fit per eam durationem provocansque debilitatem in omnibus functionibus, emaciationem, debilitatem veram, hydropem, scorbutum.

4) Aetas aegrotantis. In aetate infantili, juvenili haemorrhoides sanitatem lahefactatam, dispositionem ad morbos futuros chronicos imi ventris designant; praesente graviditate abortum saepe producunt; aetate senili charactere paralyseos stipatae omnino periculosiores sunt.

5) Complicatio cum infarctibus hepatis, lienis, hydrope, abscessibus, fystulis, ulcerihus, scirrho. In ca-

sa hocce prognosis dependet a periculo quod determinatur per morbum complicatum.

6) Suppressio haemorrhoidum, vel fluxu illarum, cohibito, vel nisu ad anum eliso multiplicia mala efficere ipsamque mortem causare queunt, praeprimis si haemorrhoides criticae aut habitnales fuere. Mala inde ortum suum derivantia sunt: vertigo, melancholia, mania, apoplexia, paralysis, respirationis anomaliae, febres inflammatoriae, metastases ad organa nobiliora, febres chronicae, lentae, hecticae, inflammationes partium diversarum. Nec negligendae sunt haemorrhagiae vicariae omnis generis, praeprimis, epistaxis, hoemoptoe, haematemesis, haematuria. His ut series malorum ex interruptione haemorrhoidum claudantur, addantur, alvus obstipa nulla arte humana reseranda: dysuria, ischuria, haemorrhoides coecae, varices aliis in partibus ab ano etiam remotis.

Therapia.

Prima indicatio consistit in remotione causarum, ad quam implendam causae remotae auferri debent, hinc 1.mo dispositionem, in qua consistat morbus omnia illa amovenda veniunt, quae circulationem morbosam praeprimis venae portarum, hinc infarctus hepatis, lienis, glandularum meseraicarum solvantur. Curatio lente procedit, multisque premitur difficultatibus et medici aeque ac aegri postulat patientiam indefessam. Adhibentur; Ext: Taraxaci, saponariae, graminis cum parva dosi salium neutralium; sapo; majori in gradu Ext. Cheledonii majoris, cicutae, antimonialia, Mercurialia, balnea mineralia, inunctiones, diaetaque stricta.

2) Haemorrhoides originem suam derivantes ex potentiis stimulantibus, excitantibus, sibi exposcunt pacantia, sedantia, uti sunt: Olea, emulsiones, mucosam dioetam antiphlogisticam. In gradu irritationis majoris, sub affectionibus inflammatoriis localibus ani, hirudines et ipsa venaesectio indicantur.

3) Quod si baemorrboidea ex noxiis debilitantibus paralysim inducentibus oriantur, ut in febri putrida, scorbuto optime debellantur adgrediendo congruis remediis morbos, ex quibus scaturiunt; ubi autem ex debilitate et paralysi ad intestina restrictis profluunt, votis medici respondent remedia amaricantia e. g. Ext. Centaur. minoris. Marub. Millefolii, sal ammoniacus, enemata amara cum circumspectione et non majori in numero.

4) Mechanicae causae externae circulationem impedientes, removendae, et ubi morbus baemorrboidalis a noxiis localibus intestinum rectum, vel debilitando, vel irritando adficientibus promanat, baec sollicite pro earum diversitate varia ratione amovendae sunt sic e. g. alvus obstipa leniter resereanda, ascarides eliminandae.

II. Haemorrhoides fluentes pro vario suo charactere graduque differenti, diversa ratione tractantur.

A) Haemorrhoides fluentes characteris activi sunt semper in relatione ad universalem et localem affectionem criticae, et supprimendae non sunt. Hioc conveniunt: Diaeta tenuis, antiphlogistica, potus acidulus, situs horizzontalis; ex ordine remediorum: Nitrum, Cremor tartari, emulsiones oleosae, tunc vero praeprimis ubi ex drasticorum effectu comparuerant.

B) ... vero astenis universalis quidem, sed major

vasorum abdominis debilitas sanguinis in his ipsis congestioni morbosae ansam porexerrit, tunc ab illis quae vires infringunt, abstinendum, et ad ea, quae ipsas erigunt confugiendum est. Ab initio incitantia mitiora, infusum aquosum ex Achillaeae Millefolii summitatibus, vel ex floribus chamomillae, frictio levis abdominis indicata sunt. Ab his, prioribus non sufficientibus, transire possumus ad remedia amara adstringentia fortiora, Infus. Salviae, decoct. rad. Tormentillae,corticis Simarubae, chinae, martialia, alumen, acida mineralia. Haemorrhoides per paralysim formatae, sibi praeter remedia interna etiam externa exposcunt. Quae hic commendantur sunt: epitemata ad anum,genitalia, et regionem sacralem, ex aqua frigida, glacie, infusis plantarum adstringentium, aceto, alcohole, acidis mineralibus mixtis. Si relata non juverint tum linteum convolutum vel torundo filo, quo deinde extrahi possint munitae et supra dictis remediis adstringentibus impregnatae in anum caute inferuntur. Si vero sanguinis unda ex tuberculis scaturiens, dictis jam modis sisti non posset, tunc tubercula operatione chyrurgica exstirpanda et hac ratione fontes rivulorum sanguineorum destruendi sunt.

III. Tractamus haemorrhoides secundum relationes et proprietates accidentales.

Haemorrhoides regulares fluentes maxima ex parte sunt criticae, sublevant aegrum et alios morbo saepe graviores praecavent. Ideo nec supprimendae, nec impediendae sunt. Diaeta congrua, evitatio remediorum calefacientium, tonicorum, principio tamino gaudentium, sufficiunt. Irregulares, quae prius regulares fuere, aegro levamen adferebant, nunc antem supprime-

bantur, et alii morbi inde oriebantur; in talibus indicatio est, illas restituere; externe hinc motus corporis diligens, equitatio; cucurbitarum applicatio ad internas foemorum partes, hirudines ad anum, enemata ex sal. culinario, Oxymel. squil. Internae illae quae activas congestiones in vasis abdominalibus nominatim in vasis haemorrhoidalibus producunt, et inde nomen pellentium acquisiverunt. Haec sunt purgantia omnia drastica. Apparentibus debita therapia instituta, sustentandae sunt, per pediluvia, cataplasmata emollientia, interne sulfur, Cremor tart. cum et sine Nitro.

Haemorrhoides coecae triplicem differentiam praeseferunt, quae in therapia rationali non sunt negligendae.

1) Pendent haemorrhoides coecae a solis causis externis, quae extensionem varicosam debilitatemque vasorum localem intestini recti produxerunt. In illis topicus remediorum adstringentium usus convenit. Varicibus multo dilatatis sanguine, opus est, illas per applicationem hirudinum, vel ope lanceolae evacuare, et demum adstringentia mitiora in usum trahere, uti epithemata, enemata ex aqua frigida; his frustra adhibitis, Decoct. cort. Querci, rad: Tormentillae indicantur.

2) Repetentes originem suam ex activa congestione arteriosa, ubi repletio venarum secundaria est, morbus a quo dependent, debita therapia curandus.

3) Sunt stasium sequelae venosi sanguinis in visceribus abdominalibus. Hocce in casu saepe aereticae sunt, et indicatio semper est, stases illas solvere.

D) Peculiarem attentionem, propriumque tractamen sibi exposcunt morbi nonnulli, qui in nexu causali cum haemorrhoidibus existunt: huc spectant.

Haemorrhoides suppressae, facillime morbos graves antagonisticos, ut haemorrhagias, inflammationes organorum nobilium causant. Hinc primum quoad indicatum est, est fluxum illum restituere.

Remedia differenti in casu etiam differentia applicanda et sunt aut antiphlogistica, aut antispasmodica.

Quoad regimen diaeteticum, non ubique unum idemque, sed variat pro charactere et gradu morbi aliisque circumstantiis. Haemorrhoidariis optime conducunt: Aer purus, moderate calidus, certus ordo in quiete et motu, labor moderatus, nutrimenta facile digerentia, flatus non causantia. Noxia sunt refrigerationes, aestuationes, vita sedentaria inclinato corpore, abusus somni et vigilii, animi pathemata deprimentia. Fructus horrei nimis dulce vel acidi facile diarrhoeam proferunt. Nimia mentis intensio, qua modo antagonistico fonctiones viscerum abdominalium turbantur, inde frequentia haemorrhoidum in eruditis. Potulenta calida uti Thea, potus arabicus dilutus, vina acida juniora aut vetusta calefacientia; in genere omnis haemorrhoidarius attentionem in semetipsum dirigat, et facile determinatu ipsi erit, qualis victus optime respondeat.

THESES

I.

Vermes intestinales non es ovis, sed per generationem aequivocam ex textu celluloso producuntur.

II.

Musices vis in multis morbis salutaris.

III.

Adauctus vesanorum numerus progredienti respondet hominem culture.

IV.

Formulae nimis compositae medicum de indicatione dubium produnt.

V.

Plus medici verba ac medicamenta valent apud aegros meticulosos, multum mobiles, et sensiles.